

DISSERTATIO PHYSICA:

De

TACTU, <sup>16</sup>

quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Cum Consensu

AMPLISS: FACULT: PHIL:

In Regio ad Auram Lycéo,

Sub PRÆSIDIO,

VIRI

Amplissimi atque Præclarissimi,

DN. M. PETRI HAHN,

Scientiæ Natur. Prof. Ord. & Reg.

ut & Acad. Bibliothecarii Celeberrimi,

Præceptoris & Promotoris, debito

venerationis cultu, æternum

colendi.

*Publicæ Eruditorum censure, in Audit. Max.*

*modeste offert*

OLAUS LÖNNQVIST/

Abo-Fin:

*Ad diem s̄ DEO visum 26 Novemb. A. 1698.*

*horis ante meridiem solitis.*

---

Exc. apud Jo. L. Wallium.

S. Æ R. Æ M. <sup>TIS</sup>

MAGNÆ FIDEI VIRO,

*Reverendissimo in CHRISTO*

*Patri ac Domino*

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Eminentissimo,

Dioecesis Aboënsis EPISCOPO  
longe Gravissimo,

Regiæ ibidem Academiae  
PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI  
Dexterrimo,

MÆCENATI & PROMOTORI  
Maximo,

Summa animi reverentia ætatem  
suspiciendo.

*Salutem & Pacem a DOMINO!*

Reverendissime in CHRISTO  
PATER ac DOMINE!



quamquam videbitur fortassis non parum audax pagina hæc, quæ nomen Reverendissimi in CHRISTO Patris Amplissimum præferre non dubitavit, ad cujus celebritatem non possunt non rubore suffundi, quicumque sue sibi sunt tenuitatis consci: tamen Vestræ, Reverendissime in CHRISTO Pater, nunquam satis laudandæ benevolentie indulgentiæque fiducia & ipse inductus haud difficilem mihi promitto veniam, quod hujus etiam quamvis simplicissimæ dissertatiuncule frontispicium; Reverendissimæ Vestræ Amplitudinis decore splendescere, fecerim: cum hoc quodcumque submissæ maxime ac devotæ venerationis argumentum non ex temerario quodam ausu, quod longissime a mea tenuitate absit, sed urgentissimo devotissime subjectionis impulsu testimonioque sit profectum. Nam ut cetera Reverendissimæ Patris

tris

tris animi bona, quiescente lingua officio nunc  
venerer, unum tamen est idemque maximum,  
quod religioso silentio, non transire conveniat,  
sed brevissima, promptissima tamen, minimeq;  
infucata laudum praedicatione in caelum extollere.  
Scilicet non potest taceri Vestra Reveren-  
dissime in CHRISTO Pater, in omnes Mu-  
sarum cultores proluxa benignitas, quam si vel  
maxime mea sileret infantia, ejus tamen ma-  
gnitudinem rotato sermone per orbem feret  
illa, de Reverendissima Vestra Paterni-  
tate haecenus sparsa & porro posteris traden-  
da, morique nescia fama. Quare etiam mi-  
hi impense de oblata hac occasione gratulor,  
qua aliquod aeternae, in Rev: Vest: Digni-  
tatem venerationis documentum publica vo-  
ce declarem & relinqvam. Et praeter fervida  
vota & calida suspiria pro Vestra salute bo-  
naque valetudine nihil habeo quod reponam.  
Itaque humilime Rev: Vest: Dignitatem  
rogo, ut hoc simplicissimum chartaceum muni-  
sculum in signum & non adumbratum indi-  
cium obsequii summeque meae in Rev: Vest:  
Dignitatem pietatis, Amplissimo Vestro  
Nomini dedicatum atque consecratum sereno  
vultu suscipere ac me in posterum inter suos  
inse

*infimos clientulos admittere, fortunas ac studia  
mea sibi quam commendatissima habere haud  
dedignetur. Ego calidis votis DEUM solli-  
citare nunquam supersedebo, ut Te Rev: Pa-  
ter quem in tanta dignitate & auctoritate  
DEUS & summa Majestas constituit, omni  
benedictionum genere beare, saluum & inco-  
lumem conservare, vita felicissima diutissi-  
maque donare, & denique in Ecclesie DEI,  
cui natus es fulcimentum; Reipublice literariae  
emolumentum, bonorumque utilitatem, Nobilif-  
simae Familiae decus ac solatium quam diu-  
tissime felicissime custodire clementer digne-  
tur! & nihil tam arduum haec vita mihi  
genitura est, ut hujusmodi votorum memo-  
riam ex meis praecordiis possit extrudere.  
Manebo itaque*

Reverendissimae Vestrae Amplitudinis

Humilimus obsequentissimus & in-  
fimus clientulus

Olaus Lönqwist.

VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo atque Con-*  
*sultissimo,*

DN. JOHANNI  
Roskamp/

Dicasterii Finlandiæ

ASSESSORI


Longe Gravisimo,

MÆCENATI & DOMINO

meo

*Pacem, Gratiam, Salutem!*

Consultissime DN. ASSESSOR!

 *Q*uoties nobile Tuum Nomen cum  
summa tenuitate mea pariterque  
scripti mei ingeniique confero, to-  
ties suspensio animi mihi haud levis subori-  
tur, num satis æquum sit me mihi tantum  
indulgere, ut dissertatiunculam hanc rudi ad-  
modum, adumbratam Minervâ tantæ Digni-  
tati dedicare sustineam. Et sane ipse da-  
mnarem hoc meum propositum, nisi animus  
meum exoraret memoria bonitatis tuæ pariter  
ac benevolentia, quam Consultissimus Do-  
minus Assessor mihi prestare præcipue vo-  
luerit, cujus magnitudo tanta est, ut ejus ima-  
ginem, qui animis non subicere, nec oratione,  
si facultas sit exprimere nec pingere calamo  
condignè possint. Itaque hoc animi mei pro-  
positum non tam audaciae meæ quam insigni  
favori & benevolentiae summe, qua parentes  
meos, meque complecti Consultissimus  
Do-

Dominus Assessor dignatus est, adscribendum venit. Sic enim Consultissime Domine Assessor, de venia Tua tantò ero certior, quantò Tuæ virtuti nihil magis pro consuetudine est, quam officia non utilitate sua sed exhibentis animo consilioque terminare. Suscipe itaque decus & ornamentum ordinis juridici, qui in Regio Finlandiæ Dicasterio summus est, maximum, simplex hoc munusculum, sereno & placido vultu pro subjecta & devota mentis tesserà, meque ut hucusque in numerum tuorum clientum admitte. Sic enim citius futurum est, ut alterum in orbem Tuæ Amplitudinis memoriam deferam, quam ut hic abjiciam vel unquam desinam novere, ut Vestram Amplitudinem Vestramq; Nobilissimam Familiam prospera quavis felicia faustaque consequantur. Ero donec vixero

Consultissimæ Vestræ Amplitudinis

maximus minimusq; servus

Olaus Lönqvist.



Kongl. May: <sup>h</sup>

Trod Tienare och Landt-Camma-  
rerare öfwer ÅBO och Björneborgz  
Låhn med Åland/

Den Ehreborne och Högachtadt

Herr Johan Kempe/

Min Gunstige Gynnare.

Kongl. May: <sup>h</sup>

Trod Tienare och Landt-Secreterare  
öfwer ÅBO och Björneborgz Låhn  
med Åland/

Den Ehreborne och Högachtade

Her Anders Björckegreen/

Min gunstige Wålgynnare.

Ehreborne och Wålbetrodde Regementz-  
Skrifware öfwer Åbo och Björneborgz  
Cavallerie-Regemente/

Her Gloff Dahlström/

Min wålbewågne Gynnare.

Ehreborne och Wälbetrodde Regementz  
Skrifware öfwer Åbo Låhns Infan-  
terie Regemente/

Her Matthias Gloffson/  
Sin älskelige käre Fader Hälsa  
och Sundheet förönskar.

Den Ehreborne och Högwälachtade

Her Johan Schult /  
Förnäm Köp- och HandelsMan  
här i Åbo.

Den Ehreborne och Högwälachtade

Her Gustaff Witzfoot /  
Förnäm Köp- och Handels-  
Man här sammastådes.

**N**är Ehr Her Cammerer min  
skriffit iag wil tilskrifwa  
Samt Ehr Her Secreter ;  
det I mig gunstig blifwa

Iag weet men ödmuikt doch iag Ehr  
om gunst nu beer/

Det I wil uppta wäl det lilla prof  
iag geer.

I andra Herrar och min Fahr iag  
gera beder/

I willen ey försmå den wyrdnad hoos  
Ehr neder

Iag läggia wil! och så mitt lilla prof  
see an/

At iag mig om Ehr gunst/ försäkrad  
göra kan.

Fast än iag ey förmår för alt godt Ehr  
belöna/

Doch see I willian min som iag här lä-  
ter röna/

I det

I det iag detta Wärdt Ehr tienst-  
lig skrifwer til/

Ett Proof af all den plickt/ iag til  
Ehr hafst all still.

Så taan Förnåme Mån/ mig i Ehr  
gunst och hyllest.

Iag weet min ringa skriffte en nöyer Ehr  
tillsyllest/

Som wäl min önskan är ; doch skal  
det fyllas af/

Den wördnad iag för Ehr skal bära  
til min graf.

Wil önska medler tijd det GUD wil  
Ehr bewara

Med sin Allzmächtig Arm : och frälssa  
från all fara

I all Ehr lefnadz tijd at Eder Krop  
och Siäl/

Må wed sitt lefnadz slutt få hamn  
i JESU wäl.

OLAUS Lönqwist.

Ad Disputationem elegantem

Juvenis Optimi,

Pereximii & Praestantissimi

DN. OLAI ΕΣΗΩΒΖΣΤ/

Bonarum artium & morum hone-  
stissimorum cultoris laudatissimi,  
Amici sincerè dilecti

3  
Ουχ ὡς τὴν κακότητα, καὶ ἰλαδόν ἐστιν ἐ-  
λέσθαι  
τὴν ἀρετήν. Τὴν μὲν δυνατὸν μόχθον πρὶ ἰκέ-  
σθαι:

Τῆς δὲ Θεὸς προπαύσει δεινὸν θῆκη ἰδρῶτα.  
Τένεκα ταπρῶτ' οἶμος ἐπ' αὐτὴν ὄρσιός ἐστι,  
Χρήσιος ὃν φεύγει ἀνὴρ, ἐσθλὸς μὲν ἐράει.  
Φίλτατέ μοι, βλέψεις ἵκταρ σοι Ἰψιμέδοιλα  
Προφρονέως ὄλβον ἢ ὀπίσσει καὶ κῦδ' ὀρέξαι,  
Τὸ χαλεπὸν χρηστὸν καὶ ράδιον ὅτι νήσας.  
ita

Gratulabundus ἀνταχθιάζει

DAVID ΡΟΥΝΤ/

S S. Theol. Prof.

P. C.

*In Humaniorum Artium Virtutumq; cultu  
Politissimum Virum Juvenem,*

DN. OLAVUM LIONHOLSEN  
Amicum & Conterraneum pensius di-  
lectum, cum de Sensu TACTUS,  
publicitùs disputaret:

**U**t tibi grater aves nimium, Doctissime  
LIONHOLSEN  
Carminè & laudem grandia expta tua.

Non vacat, ast certè, quoniam moles onerosa  
Muneris, ac ingens, me premit usq; mei.

Haud intermittam tamen, omnia fausta precari,  
Successusqve bonos, ausibus hisce tuis.

Materies rara est, quam tractas, quamq; labore,  
Texuit assiduò, culta Thalia tua.

Naturam Sensus subtilis, nomine TACTUS  
Qui venit, explanas ordine & Arte novâ.

Ingenium solers indefessumqve Canentis  
Navatum studium deregis atqve refers.

Succedant, porrò, conatus Alite dextro!  
Numinis in laudem perpetuumqve decus!!!

Solamen gratum capiant Charique Parentes  
Hinc! exsplendescat Gloria lausqve tibi!!!

Dab. Aboe L. Mq;. scripsit valdè  
pridiè Idus festinatò

Nov. Anni SIMON TALPO

1698+ Met. & Log. Prof. Ord. P. P.

Juveni egregiæ spei,  
*Non modo morum elegantia, sed  
etiam Musarum cultura  
præstantissimo,*

**DN. O L A O L Ö N Ö W J S T /**  
Aboënsi,

Disputationem suam doctam,  
*De TACTU,*  
solerter defendenti,  
*adgratulatur.*

**N**unc equidem TACTUM, reli-  
quos qui dirigit omnes  
Sensus, Pieridum pulcher alu-  
mne, doces;  
Illius at Fructum, posthac cum lau-  
de videbis,  
Cum tanget Daphne non mori-  
tura, caput.

S. T.

Ad

*Juvenem optimæ spei modestiâ commendabilem  
& elegantiori doctrina ornatissimum*

DN. O L A U M L O N Q W I S T /  
suam disputationem DE TACTU ner-  
vole defendentem.

**D**um tua sensa animi de TACTU pan-  
dis acute :

Tangere, vel tangi quod possint cor-  
pora sola,

Demonstras Lönqwist. Numen cæ-  
lestis secundet!

Ito quo jam ire jubent tua te doctrina  
laborque

Ut merito Dux Musarum designet  
Apollo

Ob studia in sophia, victori clara  
*Beßna.*

Sic tandem rediens cumlatus hono-  
re valebis!

*Hæc pauca amicitie ergo  
L. Mg. quambis occupatissimus  
scripsit*

JOH. AGRELL.





*Dirige discursum nostrum Trinuna potestas  
Ut labor in laudes desinat bicce tuas!!!*

§. I.



**T**actus tantæ est nobilitatis, ut, qui eum commendant, non dubitent reliquis sensibus eum præferre, hoc argumento: quod ejus privatio, privatione reliquorum sensuum longe sit deterior: unde summa ejus apparet necessitas. quia nullum animal sine tactu, nec tactus sine vita, esse potest. Tactus præterea comitatur proportionem & harmoniam qualitatum, quæ harmonia animali maxime est necessaria: hac enim dissipata, interit simul animal, vigente autem floret, Tactusq; est integer: quare etiam comes vitæ non inconsulto deprædicatur, quia utraque, ex eadem

2  
dependent causa, quæ est calor nativus; nam quod calore nativo exutum est, vitam perdidit. Dissertationem itaque, de hac nobili materia aggressuri, nostri esse officii meminimus quidem & fate- mur, rei, qua de futura est disqui- sitio, imaginem mox exprimere, & velut in frontispicio totius corpusculi habitum delineare: verum vix est, ut id nos præstituros polliceamur: Nam nec singula, quæ hic intenduntur, sic suis nervis, artubus & membranis co- hærent, ut omnia simul tangi queant: nec eâ sunt indole, ut se, intra limites adcuratæ definitionis & concisæ alicu- jus sententiæ, â nobis redigi patiantur; interim tamen, ne circa limen incerti hæreamus, utque principium certum habeamus, ad quod omnia, quæ deinceps in hac dissertatiuncula dicenda sunt, tanquam ad certam normam re- feramus, examinemus, & velut ad la- pidem Heraclitum probemus. Itaque, existentiam Tactus, ratione affirmante, confirmante experientia, consensu philo-  
so.

sophorum eandem comprobante, missa  
Tactus ὀνομαζλογία tanquam cuius ob-  
via, præmittimus qualemcunque ejus  
descriptionē, in hunc modum ab Excell:  
Sperlingio formatam: *Tactus est sensus  
externus, membranæ beneficio, qualitatum  
tactilium species recipiens & cognoscens.*

§. II.

Hæc definitio, ut clarior & eviden-  
tior evadat, nonnulla monent maturan-  
dum esse ad examinandam ejusdem con-  
siderationem realem; quod generis, &  
differentiæ specificæ evolutione, perfi-  
cere conabimur; iis enim illam absolvi  
consentiunt Eruditi. Generis proinde  
loco, quod alias nuncupatur conceptus  
quidditativus seu convenientiæ hic po-  
nitur sensus. Qui tanta laborat varie-  
tate, ut hodie lites sub iudice graves  
moveat, usuque & præstantiâ suâ, quæ  
difficultatis comes, multos magnosque  
viros, ad se persequendum concitet.  
Statuunt namque quidam, gustum & ta-  
ctum non differre re sed ratione, ade-  
oque

oꝗ hos duos confundendo, ex utroque  
 constituunt unum: Verum, quam ma-  
 le id fiat, ostendetur in sequentibus.  
 Sciendum tantum, in antecessum, hoc  
 loco, sensus vocabulum, non solum pro  
 actu primo accipi, sed & pro actu se-  
 cundo, sive ἐνεργεία & operatione ani-  
 mæ sensitivæ, quatenus motu, species  
 objectorum tactibilibium percipiuntur, ita  
 ut hæc ipsa externa objecta sint ea,  
 quæ facultatem sentientem, de potenti-  
 tiâ, deducunt in actum. Hinc cum e-  
 videnter compareat, quid nostrum su-  
 per hac re sit iudicium, non facile pa-  
 timur, aliam nobis obtrudi definitionem,  
 priusquam quis probaverit illam, hac  
 esse meliorem: itaque requisita bonæ  
 definitionis trutinando, supra nomina-  
 tum genus, tanquam legitimum & pro-  
 ximum, compressis tenemus manibus,  
 idque ideo: quia de pluribus, ad mo-  
 dum specierum à se invicem differen-  
 tibus, in quæstione quid sit, non con-  
 versim, potest prædicari; utpote, quod  
 Tactui, una cum sensibus reliquis, ceu  
 spe-

speciebus univocis, sub eodem genere contentis, convenit, quemadmodum probatum ibunt omnia tactionis requisita, & ipsa veritas applaudet. Dicitur autem externus hic sensus, vel respectu interiorum sensuum, vel respectu primi sensationis gradus, vel denique, quod objectum sensibile forinsecus percipit, & ad sensus interiores deducit. Sed oggeri potest: hunc respectum esse superfluum, atque absque fundamento, prætendendo, omnes sensus non distingui in internos & externos, distinctione reali ut in suas species, sed saltim modaliter, adeoque; nec Tactum recte dici externum cum non externo organo, verum interno peragatur; ubi præcipue interiores corporis partes concutiantur & vellicentur: ut ut hæc sint, tamen recte, ex ordine quinque sensuum externorum, ita describitur, quia organa, illis, cerebri respectu exteriora, & non procul à superficie & extremitate corporis animalis sita, natura dicavit. Hinc, per Tactum, non nudam potentiam tangendi, sed simul

etiam organum cum objecto tactili conjunctum, adeoque ipsam, tactionem, ut paulo ante innuimus, intelligimus. Differentia prædictæ descriptionis sumitur à vocibus ceteris, ibidem expressis, ab organo, videlicet primario, & adæquato medio & modo tangendi, de quibus in sequentibus sigillatim.

### §. III.

Generis natura ita expeditâ & postulante instituti ratione, ad Tactus requisita transimus; quorum primum ejus organum evolvendum sistitur, quod est pars animalis, qua mediante, tactio, ab anima sensitiva peragitur. Hanc animam existimavit Cardanus eandem esse cum nutritiva: vid. scal. exer. 102 sect. 7. ideoque non indigere hujusmodi forsân organo, ad varias functiones, varie peragendas. Verum, inter vegetantem & sentientem animas, triplicem differentiam esse deprehendimus. Vegetans namque ad suas actiones perficiendas, calore tantum utitur naturali, & instru-

men-

mentis, coctionibus potissimum destinatis: Sentiens vero, calore animali, & ministerio partium, ad actiones animales deputatarum. Deinde, nutritiva extra se nihil percipit vel cognoscit; sensitiva vero percipit varia objecta, pro varietate organorum, propriis suis functionibus, quæ sint destinata. Demum, nutritiva, in suum objectum, nutrimentum nimirum agit, nihilque ab eo patitur; sentiens autem à suis objectis repatitur. Arist. C. 5. de an. tex. 51. adeoque omnia animalia, utpote, homo & bruta, quamvis hac anima sensitiva, tanquam communi & primario sensationis principio, ex necessitate ipsis competente, sint donata, quippe quod tam amicum fœdus cum materia inivit, ut eam disponat, corpus componat idque intime etiam permeet, tamen, si organis partibusque corporis, ad operationes & functiones exserendas, destinatis, rite junctis, unitis & correspondentibus, carerent, omnium sensationum essent inertia. Prudenti itaque  
 con-

consilio, natura, singulis animalium sensibus, sua attribuit organa, ut eorum ministerio, animalia, operationes suas exercerent, & animæ virtutes in actum deducerentur. Quod autem primarium & adæqvatum Tactus organum sit putandum, de eo sunt philosophorum controversiæ non leves, ut periculum sit, ne illæ componi nedum sopiri possint. Interim tamen vires ingenii periclitabimur, & variis, variorum sententiis recitatis, nostros simplices, super hac re, conceptus, subjiciemus. Existimant nonnulli, omnem tactionem nervulorum beneficio, atque eorum filamentorum, per totum corpus, diffusorum] ope, tum peragi, quando hæc solito vehementius concussa, confestim cerebri quasdam partes motant, non secus ac in fune atque chorda tensis, una extremitate illarum mota, statim altera quoque commovetur. Verum, huic sententiæ subscribere non audeamus: cum hujusmodi exempla aliena sint, & maxime dissimilia, quia non  
 dum



dum satis constat: nervos in corpore animali, chordarum adinstar esse ten-  
 sos; nec ulla unquam datur nervorum,  
 ad motus diffusionem momentaneam,  
 dispositio; quæ talem tensionem com-  
 penset. Præterea, vel alia, ac peculia-  
 ria, sibi quæ destinata habent officia,  
 nervi, spirituum namque animalium  
 sunt canales, per quos, spiritus è cere-  
 bro, tanquam fonte, in totum corpus  
 deferuntur atque deducuntur. Quidam,  
 Tactus sensorium reponunt in carne, &  
 suam sententiam tuentur hoc syllogi-  
 smo: *Sensorium Tactus debet esse tempera-  
 tum, caro est temperata, Ergo caro est sen-  
 sorium tactus.* Verum, ex puris affir-  
 mantibus in secunda figura, nihil se-  
 quitur. Deinde, nec minor est incon-  
 cussæ veritatis; caro namque calida &  
 humida est. Carnem denique, omni  
 carere sensu, vel inde apparet, quod  
 caro pulmonum, hepatis ac lienis, de-  
 glubitis membranis, nulla gaudeat sen-  
 satione. Proporro, hæc sententia admit-  
 tenda non est, ob duas rationes: nam

*sensibile positū supra sensū seu sensorium, non facit sensum: Test: Arist: ut in oculis, auribus & naribus patet: at tactile carni impositum, facit Tactum, Ergo caro tactus organum non est. Dehinc, si caro tactus instrumentum esset proximum & verum, sequeretur eas partes, quæ carne carent, nullam pati sensationem, at hoc est falsum, ergo & illud: minorem confirmat experientia. Dentes enim, ventriculus, membranæ sensationem subeunt, licet carnem non habeant. Nec cerebrum Tactus instrumentum est: nam si laceratum & sauciatum prematur, & aliquid de eo tollatur, dolorem non percipit. Eadem ratione omnium viscerum substantia, pulmonum, hepatis & lienis insensibilis est.*

#### §. IV.

Medicorum contra: plerique cutem, universi corporis legitimum Tactus organum constituunt, utpote quæ, omnium partium sit temperatissima, & mediocritatem qualitatum insignem, consecu-

secuta, atque ex carne & substantia nervosa coagmentata, de tactilibus qualitatibus perfectius exquisitiusque iudicabit; quæ quoque puncta, illico sensus doloris percipitur. denique firmatur eorum sententia, quod carne vicinior sit, objectis extrinsecus occurrentibus. Sed nec hoc modo, totum plane absolvitur negotium: quia intestina etiam, ventriculus & aliæ partes internæ, cute destitutæ, sensili objecto nihilominus motantur, & concussantur: Et licet, pro ipsis, pugnat experientia, ita ut cutis, optime, de tactibilium qualitatum differentiis iudicare possit, ut vel nemo ignem fugeret, aut contra frigoris sævitiam muniret corpus, nisi cutis hostem adesse sentiret, invaderetque defensionem. Tamen attendendum hic, cutem non primo & per se, sed propter aliud & secundario, Tactus sensorium appellari posse, adeoque inadæquatum ejus organum esse: quod etiam ex compositione cutis probare possumus; constat enim carne propria & membrana: quod

quod igitur cutis sentit, non carni, ut ex Theſ: præc: patet, ſed membranæ feret acceptum. Deinde, ex fine cutis proximo, qui eſt ut animalia tegat, ornet & muniat, contraque externas tempeſtatum injurias defendat, atque prohibeat, ne continuo exuder humor, vel egrediatur calor internus, & ſic ſequatur corruptio: atque ita, ſi omnia, quæ in toto fere corpore animali reperiuntur, animo volvamus, deprehendimus ea, præter membranam, peculiaribus eſſe deputata officiis, atque alia aliis pollere uſibus. Quare, alius corporis partibus, Tactus hoc ſenſorium, deferri non debet, quam membranis, quæ alium uſum non habent, ſed propter hanc cauſam animalibus conſeſſæ, ut adæquatam Tactus organum ſint quod nos hic venamus. Itaque ubicunque membrana eſt, ibi etiam Tactus, remota membrana removetur & ſenſus Tactus, qui, quia omnium ſenſuum communiffimus eſt, & animali, in toto corpore, ad externas injurias accen-

endas datus, instrumentum etiam per totum corpus protensum habere debet, & quidem tale, quod aliud in animali officium non præstat, cujusmodi membrana est.

§. V.

Tactus organa sic explicata & leviter perstricta, haud parum lucis, ut speramus, nostro proposito fœneratura, jam objectum ejus genuinum & proprium, atque reliquis sensuum exteriorum objectis contradistinctum, examinandum excipit, atque explanandum. In cujus naturam inquiri, antequam illud designamus, variantes circa hoc negotium sententias expendemus; quarum prima nobis obvia est Aristotelis: qui objectum hujus sensus constituit *ἀπτόν ἕκαστον*, tractabile seu tactile quodvis; ejusque privationem *ἀνάπτον* intractabile. Verum, hæc sententia, nervum rei tangere non videtur: Quia hoc modo confunduntur, non solum exteriorum sensuum objecta, sed ipsi sensus, qui tamen objectis & organis discernuntur.

nuntur. Deinde, innuitur his verbis: privationem esse, objectum nempe tactile: quod tamen veri vicem non obtinet. Nam ut privationi, nulla inest vis & efficacia producendi aliquod effectum, nempe, reale & positivum; ita nec incurrendi in sensus. Cum absentium nulla sit externa sensatio: quod de privatione pura & simplici valet, quæ nudam infert rei, inesse debitæ, carentiam. Nam si calore ignis destitueretur, nulla deinde caliditas intelligeretur formaliter & actu considerata, cujusmodi nos hic intendimus. Quidam mentem Aristotelis subjungunt, dicendo: functiones reliquorum sensuum non posse perfici sine beneficio Tactus, adeoque omne visibile, odorabile & gustabile, non solum esse objectum visus, olfactus & gustus, sed etiam Tactus: Unde eò audaciæ progressi sunt, ut statuerint, unicum saltem sensum esse, qui omnibus sensationibus præest, cujus-cunque demum generis sint, cum nihil sentiri possit, nisi quod nos contingat,

gat, cominus, vel eminus. At hæc sententia ruinoso superstructa fundamento, sua sponte ruit, dum distinctum itur inter sensum generaliter & speciatim sumptum. Non enim negamus, nec negari debet, quin reliquorum sensuum functiones opera tactus peragi possint: Nam quando videmus, tum oculus à materiæ alicujus specie afficitur; quando audimus, auris ab aère tangitur; & sic in reliquis obtinet contactus sensibus: verum, ejus objectum, propterea, cum iis, non est commune; sed evidens inter Tactum in specie sic dictum, & visum est discrepantia, quæ duobus animadvertitur modis; Nam Primo, visus actio est celerrima, & maxime immaterialis; quia species visibiles, quarum ope perficitur, ab omni terrestri crassitie sunt puriores, adeoque quo aliquid à materia purius & liberius, eò celerius movetur. Deinde, objecto: quod involvit omnia, quæ habent vim radiandi, hoc est, speciem sui recta linea diffundendi. Sic Sol imaginem sui seu speciem visibi-

bilem, de se, per aërem fundit, & ad oculum, qui proximum & immediatum visus organum est, transmittit; hæc autem specierum radiatio in orbem perficitur, nam quæ radiant, ab omni parte sui radios emittunt, quod patet exemplo candelæ in camera, vel alibi accensæ: quæ lumen suum diffundit in omnes partes circumjacentis spatii. Denique: objectum olfactus quod spectat, dicimus & illud specie, à reliquorum sensuum, adeoque à Tactus objectis, esse diversum, quod probari potest ex odorum essentia, olfactus objecto, medio, & proprio organo. Itaque, qui super hac re, uberiores expositionem desiderat, remittitur ad disputationem de olfactu, ante annum, ex hoc loco habitam. Maturamus jam ad designandam differentiam, quæ inter tactum & gustum intervenit. Existimant non pauci, gustum, tactui maxime esse cognatum, cum sine tactu, nulla gustatio perfici possit. Verum, insignis differentia eaque specifica, deprehenditur,

inter



inter hos duos sensus. Nam omnes corporis partes sunt præditæ Tactu, at sola lingua gustu. & quidem in interiore carne gaudet. Est enim ipsi laxa & spongiosa caro, qualis in toto corpore non animadvertitur: Ergo lingua ponitur instrumentū gustus proprium, quod norunt homines delicatuli, qui cuspide & prima parte linguæ, melius quam ejus medio, vel radice gustant: at membrana est instrumentum Tactus: differunt ergo organo & instrumento: denique etiam lingua, non gustat aliquando, licet tangat: nam si insipida prorsus linguæ admota fuerint, sapor nullus percipitur & tamen tangitur lingua; imo etiam, si linguæ aridæ valde, admoveamus valde sicca, lingua quidem tanget, sed non gustabit. Gustum igitur à tactu in specie sic dicto, esse quid diversum, cuius nisi ocream capiti induto patet. Dum, non solum sensus tactus est in alio organo, imo in toto corpore, gustus vero solum in lingua, sed etiam in lingua potest desinere gustus, ut jam dictum est, ut ta-

men tactus adhuc adsit, sentiatque lingua dolorem, si lædatur: ad quæ accedit, quod habeant diversa objecta; hujusq; objectum nec ab illo, nec illius ab hoc sentiri aut percipi possit: interim non inficiamur objecta Tactus multū conferre ad sapes. Calor namque ex sicci & humidu commoda & incommoda commixtura, sapes elicit gratos; ut & ingratos: sic fructus in arboribus, solis calore coqvuntur, & pro diversa coctione, alium atq; alium saporem recipiunt, quo etiam pertinet, quod in locis algentibus, fructus ad maturitatem non perveniant. Unde uvæ in his nostris algidis terrarum oris citius plerumque crudescunt, quam maturescunt, ob defectum caloris solaris, quantumvis etiam lapidissimas, hic Aboæ natas, & ad Christinam, nostri seculi Reginam, ab Illustrissimo quodam tunc temporis Regii Dicafterii hic ibidem Præsides, ceu singulare quoddam donariolum Holmiam transmissas esse non ignoramus.

Compositis ita pro modulo ingenii, variis variantium sententiis & contractis, circa objectum, dissentientium sententiarum divortis, proximum est, ut illud designemus nomine qualitatum tactilium: quas in duplici deprehendimus constitutas esse differentia: quarum aliæ sunt Elementares, quæ in quatuor paria distribuuntur, ut: levitas, gravitas, subtilitas, crassities, caliditas, frigiditas; humiditas siccitas; & aliæ ex his proficisci vulgo credantur, quæ à nonnullis in certas Syzygias digestæ, secundæ vulgo appellantur: utpore, curities, mollities; ariditas, lubricitas lenior & friabilitas; asperitas, lævitas; densitas, raritas; flexilitas, rigiditas; glabrities denique & scabrities: & aliæ corporum modificationes, motus texturæ, figuræ, quæ in ipsis quandam varietatem & mutationem inferunt: quæ non tam Elementis, quam Elementatis seu mixtis, inhærent. Unde hæc qualitates, ad Tactum pertinentes, paulo aliter à

veteribus, quam ab hujus seculi Philosophis explicantur: verum si rem obtueamur, deprehendimus eos, magis inter se vocibus altercantibus, quam re dissidere: Illi, in diversa temperamenti & materiæ permistione; Hi in mechanicis affectionibus; utrique in partium quadam *ἑσται*, earum naturam unice ponunt. Ac *densi* quidem rationem, in eo positam, dixit, olim Aristoteles lib. 2. de Gen. c. 2. tex. 13. lib. 4. Met. c. 4. quod partes sibi vicinas, constrictas solideque cohærentes: *rarum* autem, quod partes extenuatas, nec ita inter se probe compactas, sed ab invicem distantes; *leve*, quod partes æqvabiliter & in rectitudine quadam; *Asperum*, quod partes, alias eminentiores, alias depressiores, tactumque, dum contrectatur, offendentes, habet. Recentiores physici, in qualitatibus ceteris quoque similia deprehendentes, *duritiem* etiam ac *stabilitatem* in minutiarum arctiore, compactiore ac pressiore nexu; *mollitiem*, è contrario, in particularum laxiore & remissiore disposi-

positione, & interfluente subtiliore quadam materia, *Crassitiem ac tenuitatem*, in particularum sive molecularum, cæteris partibus, majore vel minore magnitudine, locandas putarunt. Videatur Gassendus animadvers. In X. Lib Diog. Laërt. pag. 107. seqq: Chymici vero, ex diverso principiorum statu, vel ex sale acido & alcali tantam qualitatum varietatem solent repetere: atque ut nobis videtur, singuli, nec omnia, nec nihil dicunt. Nam per plurimas corporum virtutes, ad diversos qualitatum elementarium gradus referri posse, non negamus: Omnes tamen ex iis postulare, non minor prudentia, quam fidentia esset. Sic multæ corporum vires & affectiones ex sale alcali & acido dimanant: Sed ex iis omnes proficisci, aut ex principiis chymicorum, non facile dixerimus, Mechanicæ quidem affectiones essent forte viribus Tactilibus corporum exponendis accommodatæ, sed quæ figura, qui mo-

tus, quæ textura, quæ quies, certam  
 qualitatem procreet, explicatu arduum  
 & difficile, si non impossibile est: qua-  
 re tutius nobis videtur, omnium secta-  
 rum uti subsidio, nihilque aspernari,  
 nisi quod simplicem veritatem excludit.

§. VII.

Posito itaque quod Tactus objecta,  
 tantam qualitatum congeriem habeant,  
 à quibus tot species & differentiæ desu-  
 muntur, nihilominus dicendum est, esse  
 unam numero potentiam tangendi, qua  
 functiones Tactus peraguntur; nam li-  
 cet tactiles qualitates pro corporum di-  
 versitate, inter se discrepent, multipli-  
 cesque existant, non tamen diversa sunt  
 organa, quæ variis affectionibus produ-  
 cendis inserviunt, sed eadem ubique in  
 corpore, cujusque objecti impulsu re-  
 cipiunt & alternis vicibus, a diversis ob-  
 jectis feriuntur. Verum, huic sententiæ  
 objicit se Aristoteles 2. de An. cap. 11.  
 dicendo: quod unus sensus sit, unius  
 primæ contrarietatis, unumque habeat  
 obje-

objectum proprium, ad quod omnia,  
 quæ sensibilis naturæ & habitudinis sunt,  
 redigi queunt. At Tactus, non videtur  
 uno gaudere communi objecto, sed plu-  
 ribus, quæ ejus sunt indolis, ut ad com-  
 munem naturam, & generalem ratio-  
 nem, qua mediante a Tactu sentiantur,  
 referri nequeant: hac ratione per plu-  
 rimi ducti, alii duos tactus, unum ad ca-  
 lidum & frigidum, alterum ad humidum  
 & siccum, statuminarunt; quibus etiam  
 durum & molle, asperum & læve an-  
 numerant; tertium addunt alii, ad gra-  
 ve & leve percipiendum. Alii tot Tactus  
 esse statuunt, quot sunt syzygiæ seu com-  
 binationes, vel differentiæ & contrarie-  
 tates qualitatuum tangibilium. Alii, aliâ  
 ingrediuntur via, singularem ponendo  
 Tactum, quo dolor, voluptas, delectatio,  
 venus, fames, sitis, percipiuntur: ut ar-  
 duum sit, litem tot doctissimorum viro-  
 rum componere; tamen, plurimis vi-  
 detur probabilius, unam esse tangendi  
 potentiam, quæ variat, pro variis tangi-

bilium differentiis, ad commune quoddam  
 genus & generalem rationem reducen-  
 dis; quæ organum motant, & nervorū  
 atque membranarum ope, varium ta-  
 ctus sensum excitant. Nam si Tactus fo-  
 ret multiplex specie, quia objecta ejus  
 specie sunt diversa, etiam visus specie  
 multiplicaretur, pro diversitate objecto-  
 rum visibilium, quæ diversis nominibus  
 exprimuntur, quod est absurdum; &  
 idem judicium esto de reliquis sensibus,  
 quos natura unico dignata est organo,  
 quod diversis agitur affectionibus.  
 Nam licet objecta, sint materialiter plu-  
 ra & diversa, formaliter tamen, in una  
 ratione sensibili, adeoq; tangibili conveni-  
 unt; hoc est, eodem modo sensoriū tactus  
 afficiunt & immutant, qualitates tactiles,  
 etiam quæ sunt oppositæ speciei. Hinc est,  
 quod sensus, non ab objectis duntaxat,  
 quibus excitantur; suas emendicent dif-  
 ferentias, sed etiam ab organis & modis,  
 quibus agitantur peraguntur & afficiun-  
 tur, sint dijudicandi; Ergo omnes quali-  
 tates tactiles in eo consentiunt, ut eandē  
 affe-



affectionem organo imprimant, & tota illa differentia à diverso appulsu & impulsu dependeat. qui ad communem rationem reduci debet: Et profecto experti sumus, quod, qui possunt tactu percipere unam illarum contrarietatem, etiam aliam illarum, per eandem partem, sentire queunt & ex aduerso; qui unã ex iis sentire non possunt nec possunt aliã; adeoq; non est paradoxum, tactũ, eodẽ tempore, in eodẽ subjecto, posse interdũ sentire contrarias qualitates, hoc est, minorem motum, & quietem majorem, vel versa vice: sic si manum frigidam igni admoveamus, tum frigus manus & calor ignis simul percipiuntur, eodẽ tempore atq; subjecto, & e contrario: si calida fuerit, tum calor sentitur tanquam inhærens, sed frigus tanquam adventitium, ex aère, aqua, glacie, vel aliis rebus algidis. Nec hoc evertit naturam definitionis oppositorum, quia id fit non plane eadem ratione: nam manus quidem percipit, eodem tempore, calorẽ & frigus, sed non eadem ratione: quod eorum sententiã

spectat, qui singularem Tactum, quo dolores corporis, voluptas & titillatio sentiuntur, efficiunt; dicimus, hoc divortio non esse opus, nam ubi intestinorum & vilcerū membrana, seu exigua filamenta, ut volunt quidam, tanto trahantur impetu, ut quasi disrumpi & à membro, cui illigata sunt evelli sentiantur, anima dolorem percipit: ubi vero non rumpi sed pari ferme impetu, citraque læsionem moveri intelliguntur, anima voluptatem quandam corpoream, quam titillationem nuncupamus sentit, quæ licet à dolore, respectu causæ à qua provenit, parum distet, contrarium tamen gignit effectum: atque sic totum illud discrimen, à diversis objectis pendet, quæ nervos membraceos afficiunt atque trahunt, qui variis modis agitati varios edunt effectus. Cui rei etiam adstipulatur experientia, nam qui balnea, diversis caloris gradibus, distincta intrant, quemadmodum Turcas facere tradunt historiæ, qui tepedioribus aliquamdiu immorantur, antequam calidi-

ora subeant, donec fervidam aquam tolerare aut sustinere queant, atque interjecto tempore, eadem aqua, quæ à subeuntibus, vix præ æstu ferebatur, omnino frigida existimetur. Censemus ergo cum accuratioribus, revera unicum tantum esse Tactum, cum quoad organum, tum quoad facultatem ipsam. Est enim unum tantum materiale organum, per corpus totum distensum, quo utitur Tactus ad objecta etiam diversa percipienda: una quoque & simplex tangendi est facultas, quæ per unum illud & universum sensorium, sua efficacitate se distendit, & omnia sua objecta apprehendit. Hæc ipsa objecta, quia sunt varia, ideo etiam varie sensorium afficiunt, eidemque varias discrepantes species imprimunt, quas una eademque facultas percipit & cognoscit: Et propterea, quia plures & diversæ repugnantia in sensibilibus qualitatibus deprehenduntur, non est opus plures tangendi potentias facere, quam

in ceteris sensibus, quorum objectorum contrarietates & repugnantia, ad genus quoddam commune reduci possunt.

§. VIII.

Evolutis huc usque sollicite satis & prolixè iis, quæ objecti naturæ explicandæ non nihil sufficiunt, proxime de Medio Tactus, ut pauca dicamus, postulat ipse geminus tractationis ordo. De quo etiam sunt non ficulneæ, Philosphorum altercationes atque concertationes. Aristoteles etiam medium in hoc sensu ponit 2 de an. tex. 113. & qui ad ejus sententiam accedunt, existimant omnia, inter quæ aliquod corpus est interpositum, sese invicem sine medio non posse tangi: stabiliunt ergo omnes Tactus functiones, vel interjecta aqua, vel intermedio aëre perfici. Verum, ipsis oggerimus, externo medio in hoc sensu non semper esse opus. Nam si Tactus, non nisi interjecto medio, nempe aëre vel aqua, perageretur,

Tactus non esset Tactus, quem tamen ita denominatum voluit erudita cohors, quod proxime & immediatione suppositi, objectis se conjungit: quamvis autem, in medio aëris, vel aquæ, sentiamus calorem, qui mille cuspidum instar, Tactum penetrat & lacerat, neutrum tamen eorum esse necessarium medium, ad Tactum, quatenus est Tactus, sed peregrinum atque adscititium, vel accidentaliter circumjectum. Nam manus, corpori duro, partes densas & bene compactas, difficulter tactui cedentes, habenti, admota, ejus duritiem, nullo intercedente medio externo, sentit & percipit: cæterum, intrinsecum medium, inter sensorium & tactile interjacens, per quod qualitas tactilis inter noscitur, quod attinet, licet illud non sit satis perspectum & exploratum, unanimi tamen consensu statuitur: cutis, membranæ contradistincta, præter enim hanc non datur corpus aliud obvium, in quo, objecti similitudo formata, sensorio imprimi uniriqve potest; in  
 reli-

reliquis vero partibus, in quibus, cute, sensorium non est rectum, medium Tactus propinquum est, subjektū idem cum instrumento, sed ratione saltim diversum. Hic notandum discrimen, inter contactū mathematicum corporū, quatenus magnitudine sunt prædita, & inter tactum corporum, quatenus sunt tangibilia, hoc est, ut objecta sensum motant atque afficiunt. Medium in tactu, non est medium sentiendi, sed mathematicum saltim, quatenus tantum est corpus, inter alia interjectum & hujusmodi est cutis.

### §. IX.

Leviter ita iis, quæ naturam medii, per quod agit Tactus, spectant, perspectis, modum jam tactionis, quo objecta ad officinam sensationum deferuntur, subjicimus: Cum tanta sit in objectis, quæ tactionē excitare possunt, varietas: tamq̃ varia, in corpore animali, organi, tactilibus qualitatibus percipiendis, dicati, temperatura, ut modus, qui objectorum impressiones, spirituum agitationes & or-

gani temperiem consequitur, plenarie capi vix possit; tamen opera, dissidentiū auctorum, circa hoc negotiū, sententiis reconciliandis, dabitur qualitercunq; ut eum, ductu ad curatiorū philosophorum, quodammodo explorem<sup>9</sup>. Nonnulli itaq; non injuria, in tactu etiā, hunc nodū solvendū, varia interpretatione stringunt, hac opinione persuasi, in omnibus sensibus, species spirituales esse necessarias, nullosque sensus, per reales species, à suis objectis affici, unde statim in tactu omne tactile, à suis objectis, per idola quædam, effigies sive imagines rerum internosci: quibus ex objectis productis, omnem tactionē effici peragique. Nam, si qualitates tactiles, materialiter in tactum agerent, in illo etiam qualitatē sibi similem producerent, atq; sic sensorium tactus, si corpus durum vel molle perciperet, durum vel molle efficeret: quod tamen concedi, nec potest, nec debet: quandoquidem, constat satis naturam, alienis viribus aliunde adscitis, non agere. Et quia, si sensus non perciperet illud sensibile, quod re-

cipitur in organo, esset sensatio omnis  
 æquivoca, quod absurdum & *ἄλογον* :  
 quare Alii hac incedunt via, existiman-  
 tes, calorem, qui manu igni admota,  
 cujus cutis putatur organum exquisitissi-  
 mum, percipitur, non esse realem, sed  
 intentionalem, cum manu remota, ex-  
 templo exeat exuletq; verū, calor iste,  
 verissime est realis, sed cum effluvia  
 ignis, in celerrimo, quaquaversum, re-  
 nuissimarū particularū motu consisten-  
 tia, insinuata per cutem & carnem, se  
 organo uniunt, illudque tendunt, quo ta-  
 cto tensoque, statim in instanti defertur  
 ad cerebrū, quædam sensatio, quæ exci-  
 tat quandam in mente ideam, quæ ignē  
 tanquam præsentem eidem sistit. Et hæc  
 idea tamdiu mentem agitat, donec ato-  
 mi & particulæ igneæ, quocunq; modo  
 ex parte corporis læsa, ejectæ expulsæq;  
 fuerint: in quo etiam Atomistæ & Car-  
 tesiani conveniunt, nihil nisi de particu-  
 larum figura, diversum sentientes. His  
 ita positis, dicimus, ejusmodi idolorū  
 productione, hic omnino esse opus. Nam  
 licet



licet objectum, organo proxime admoveatur, atque tactus, sensuum censeatur infimus, & objectum ejus nullibi extra materiã se exlerat, sed in materia latens, sese sensui oggerat organum, ramen agitare, vel afficere neqvit, nisi species sui repræsentativas, eidem imprimat: quarum interventu sensatio peragitur. Nam corpora ipsa, per se, non possunt sentiri; sed qvatenus in se habent causam, à qua sensationes excitari possunt. Sic qui videt canem, non corporis structuram in oculis recipere potest, sed potius ejus effigiem & speciem, quæ corpus alio atq; alio colore affectum repræsentant, à specierum productione, ergo oculus in actũ videndi traducitur. Nam nisi coloratus esset, neque visus noster, communia illa sensilia, magnitudinem, arcuum numentum, motum, cursum, quietem, figuram in eo percipere posset. Sic Tactus percipit rem duram, non qvatenus est corpus, sed ratione speciei, quam corporis durities de se exhibet; sic durities ipsa ab organo non percipitur materia-

liter, quia nihil de corpore ejusmodi duro decedit, sed spiritualiter, seu per speciem & simulacra, quæ ita à subjectis non prodeunt, ut prorsus separentur; nec emigrant, sed emanant, ut duritiei, tanquam principio suo quo, immediato, originaliter inhæreant, atque per continuatum situm, unaque sine locorum intervallis extensum, communicentur organo: quæ idola, a qualitate reali producta, velut congrua atq; materiæ quasi inhærentia, movent & afficiunt sensum, eadem virtute atque quasi incita. Et hæc confirmare videtur ipsa experientia, quæ docet dolorem digiti acicula puncti, statim ad commune sensorium, quod cerebrum statuitur, in instanti deferri, atq; ibi sensum afficere; quod fieri non potest, absq; ministerio specierum intentionalium, e subjecto suo emanantium, extraque illud per quandam continuitatem existentium. Quia, si species materiales hoc præstarent, tunc aliquid materiale esset simul in pluribus locis, quod absurdum. Sed ne hinc aliquis

quis existimet, nos usq; eo esse insanos, ut credamus, quem dolorem homo, cujus brachium pungitur, sentit aut percipit, aciculæ inesse similem, consultum ducimus, aliqua adducere requisita, in sensu hoc, quæ intercedere debeant. *Primo*, rem sensus capacem. *Secundo*, aciculam, aut objectum feriens; *Tertio*; aciculæ in corpus actionem; ob quam mutationem aliquam subit; & tandem id, quod sequitur ex unius actione & passione alterius, quod punctura seu dolor vacatur: quod ultimum cum in sensum incurrat, inferendum est, aciculæ talem esse dispositionem, ut admota manui & alii cuiuspiam parti corporis, organum ita agitare, atque sua cuspide ferire possit, ut quasi magis vel minus disrupti sentiatur, quæ disruptio, pro majori vel minori punctione, nullo comite ratioe cinio, gignit in nobis quandam confusam ideam, ex cuspidis punctione organum vexante, integroque corporis statui superveniente, resultantem. Adeoque statu-

endum, illam puncturam vel dolorem, non ab acicula emanare, sed ab ejus vi pungendi & cuspidata potius dispositione, transire & terminari in partem suppositi distinctam, a parte ea, quæ in eo est activa. Hæc revera ita esse, cum nobis exploratum sit, haud inutile erit, nostras, de iis Ideis & imaginibus, cogitationes, in certa genera dividere, &, in quonam genere, de iis veritas vel falsitas reperiatur, investigare. *Quædam* vero ex cogitationibus nostris sunt, tanquam rerum imagines seu ideæ, quatenus res certas menti repræsentant, ut cogitatio de punctura seu dolore ex aciculæ punctione veniente, quæ est velut res cogitando repræsentata mentique obversans. *Aliæ*, præter illam repræsentationem, amplius quid includunt, nimirum idearum compositionem; ita, cum rem nimis frigidam, vel fervidam nimis nolo; non modo alicujus rei imago seu repræsentatio, sed etiam intus aliud quid in mente existit, quod una voce vix afferri potest. Ita balnea, vario caloris gradu

temperata ingressuri, cum tolerabili calore ea esse calefacta sentiamus, tunc statim experimur, nos mente inclinare ad eadem subeunda, nobis tanquã bona. Verum, cum intolerabilis æstus ibidem sentitur, tum experimur, nos eadem averſari tanquam incommoda. Has ita ex utriusq; philosophiæ meletematis, imaginum & idearum naturas haustas probe qui novit, & quid sibi velint, solide intelligit, facile cognoscet, opinabile, illud diffidium, ex Recentiorum & Veterum, ingeniorum diversitate, quod putatur excitari, sopitum iri. Ut non difficile sit judicatu, quid, & quale judicium, de aliis tangendi modis, sit ferendum; sic supposito, plumam aut aliam rem lenem, per brachium nudum alicujus hominis duci, vel carbonẽ candentem, aut glaciei frustrum corporis parti cuiquam admoveri, rite concipimus titillationem, calorem & frigus. Hinc dubitare licet num Interpretes Aristotelis rem assequuti sint, ubi prætendunt mentem illius fuisse, calorem, E. G.

Ignis

Ignis quippiam in eo esse omnino simile sensui, nobis impresso, ab ejus vicinia. Ibidem glaciei frigus aliquid esse omnino simile sensui illi, quem ex ejus contrectatione experimur, quia cap. 12. lib. 2. de anima, ubi postquam ostendit sentire, passionem esse, addit eo momento, quo sentimus nos evadere objecto similes. Verum, ut clarius concipiamus, quo modo hic sensus peragatur, in memoriam revocanda & perpendenda diligenter sunt, quæ antea aperuimus: nempe, quod anima in cerebro residens, sensum habet ejus rei, quæ in membraceas partes corporis impingit; exempli gratia, si manus igni admoveatur, ignis particulæ utpote concitatae, & celeri motu actæ, vim habent, partem cutis, qua manus vestitur, agitandi, atque membranam ad commune sensorium propagatam, afficiendi, ut anima caloris sensum sentiat. Tanta enim est inter sensorium & membranam per totius corporis partes diffusam, ratio, ut anima, per ejus interjectionem, cor-

porum externorum impressionem recipiat, cujus impressionis speciem, statim sequitur actus in anima, qui corpora illa externa repræsentat. Unde scitum illud Scholæ: actū habere speciem ab objecto. Ad quam sententiam non obscure accedit Nob. Cart. in lib. de Meth. inqviens: *Est alia actio mentis, per quam, aliquid calidum, vel frigidum, esse judicamus, & alia, per quam nos ita judicasse agnoscimus, atque una sepiissime sine alia reperiatur.* Audiat & Scholæ princeps Thomas part. 1. qvæst. 87. art. 3. ad 2. *Alius est actus, inquit, quo intellectus intelligit lapidem, & alius est actus, quo intelligit se sentire lapidem esse durum.* Ergo concedendum est, ideam mentis, omnes habere sensus seu ideas rei, id est, species tanquam præcursores, qui mentem vel animam, in rei naturam cognitione penetrandam, deducant. Quamvis itaque ignis calor & glaciei frigus, cum sint qualitates, aut proprietates, corporibus propriæ, quæ pro inanimatis ab omnibus habentur, à speciebus, quibus menti sistuntur præsen-

sentes, si secundum se & suam naturam  
 considerentur, numero differant, ratio-  
 ne tamen sensationum, quas earum pro-  
 prietatum causa, nos experimur, quate-  
 nus imagines illarum objecta realia re-  
 ferunt & repræsentant, idem numero  
 dici possunt, & sensus rei spiritalem i-  
 maginem percipiens, rem ipsam perce-  
 pisse recte dicitur. Sic inventi sunt qui-  
 dam homines, a natiuitate cæci, qui so-  
 lo Tactu, diversa Marmoris lævigati ge-  
 nera atque varias monetæ partes, distin-  
 guere noverunt, quod fieri non potuif-  
 set, sine huiusmodi rerum idolis & ide-  
 is, rem ipsam menti repræsentantibus.  
 Ut ergo Tactus, sua munia obeat, tem-  
 per præter immediatam & realem appli-  
 cationem, etiam ideæ & effigies rerum,  
 menti communicatæ, requiruntur, alias  
 nullam fieri tactionem certum est: quia  
 revera qualitates tactiles, nec sunt visibi-  
 les, nec audibiles, nec adorabiles, nec gur-  
 stabiles: Animæ, ergo, mediante facultate  
 tactrice, solius officium est, monstrare,  
 quæ



quæ res sit calida, quæ frigida, aliaque qualitate tactili vestita; quod si interdum visus, hanc vel illam rem, calidam aut frigidam, mollem, duram, aliaque qualitate affectam, esse cognoscit, id sane fit per accidens, & potius hoc iudiciũ rationi, quæ primo a Tactu id didicit, ferendum est. Interim hoc tenendum, non posse objectum tactile, ita per spiritales imagines sentiri, velut in visu fit: ubi species intentionales ab omni materia separatae & liberae atque impermixtae feruntur, per medium ad organum eiqve objectum representant visibile: sed nihilominus immaterialiter per species, eæ qualitates agunt in organum; facultatemque, speciebus ab objecto, nunc per quandam emanationem, nunc per transitionem, resultantibus, exagitant & movent effective; quia alias sensationem non efficerent, quæ sine specierum per medium ad organum relatione, fieri non potest. Hac pauca, de difficili hac & intricata ma-

D

teria

teria, pro ingenii teneritudine & instituti ratione, adduxisse sufficere possunt. Reliqua autem, quæ uberiores, hujus materiæ declarationem, spectare videntur, omitta faciamus, dicentes!

DEO Triumphi sit laus, honor & gloria,  
*in perpetuas æternitates!!!*

Juve-

Juveni

*Literarum morumq; elegantia perquam  
Eximio atque Præstanti*

DN. OLAVO LÖNNOWSKI

Amico suo satis dilecto,

*Cum*

*Discursum suum de sensuum amplissimo,  
TACTU, docte concinnatum egre-  
gie defenderet.*

**S**ENSIBUS, ut nimia qui fidunt credulitate,  
*Indiciis falsis decipiuntur ab his:  
Sic vix indiget rerum multa experimenta  
Quisquis eis vires derogat omnimodas:  
Hinc etenim mentis prodit perceptio prima,  
Nec mentem per se decipiunt facile;  
Sed parit Ipse notam Sensus nobis manifestam  
Veri, rite modo est dispositum organum,  
ut &  
Conveniens medium, justa & distantia  
rerum,  
Quod melius Tactus comprobat, ut ra-  
ceam*

*Fama*

*Jam reliquos Sensus, cum toto corpore fusus  
Incoat objecti Sensilis hicce notam  
Partibus in cunctis, membrane quas tue-  
antur;  
Excipiunt nervi hanc, adque ferunt cere-  
brum.  
Hoc residens solio, mens censet, judicis instar:  
Quid calidum, gelidum, quæ aspera, quæ  
nitida.*

*Singula Musa tua hæc quæ monstrat Candide  
Lönqwist/*

*Expendens Tactum dexteritate sua,  
Materiam egregiam, sat & amplam, laudeq;  
dignam,  
Viresque ingenii quæ celebrat vegeti.  
Gratulor ausibus his, DEUS O tua cæpta se-  
cundet,  
Quò tibi felici sidera cuncta fluant!!!*

amicitiæ & officii

ERGO

gratulabatur

JOH. Wickelgreen.

*Literis moribusque ornatissimo Juveni*

DN. O L A O L Ö N Q W I S S E /

Amico in paucis dilecto,

*Erudite de TACTU differenti.*

**Q**uoridie multos Parnassi scandere rupem,  
Cernimus, ut capiant munera ma-  
gnifica,

Quæ illis dispensat proles Latonia Apollo,  
Ardua qui forti pectore quæque ferunt  
Sisyphæusque labor quos nec superaverat ullus  
Qui plures medio tramite stare facit.

Hos inter quanta polles constantiâ, amice,  
Quoque animo Löngwiff omne laboris onus  
Spernis, discursus præsens hic laude vehendus  
Detegit excultus Pierio ingenio.

De TACTUS sensu cui subtilis Stagirites  
Debere omne animal judicat Esse suum.  
Macte igitur posthac ulli nec parce labori  
Cedant sicque brevi, præmia grata tibi  
Inter Castalios dum exultas victor alumnos  
Et laurus cingit tempora apollinea

Lætior illa dies nimbos dispellet acerbos  
Famam conspicuam quæ adferet atq; decus,  
Gratulor ingenium tibi tam docta arte politum  
Et faciat voveo, capra secunda DEUS.

*Paucis hisce non infacata ami-  
citiæ ergo applausit*


BERGERUS GERDZLIN,  
Calmariensis.

---

Öfwer

Ehreborne och Wällärde  
Her OLAUM LSNOWZSE/  
Sinom förtrogne Wän/

Då han sina wäl begynte Studiers första  
Åster i liuset låt utgå!

 Den som i Martis fält/ sig rapper wll  
bewisa/

Och sekta efter thet/ at wärlden honom  
prisa/

Wå/ han med råligt sinne/ skall möda all uthstån

Za och så döden själf skall under ögon föhla/

Är sammaledig och then som uti Musers Schola,

Wll

Will wiina sig beröm/ han ingen flit skall spara/  
Men genom mongt besvär skall upp till Pallas  
blijwa;

Ey moor ey medgång; tiid må honom ther från  
driifwa.

Alle detta hafwen I Her EDWARD WISE wäl  
betrachtadt/

När I all swärigheet/ all möd sam flit oachtadt/  
Ifrån Ehr ungdoms åhr/ haa endast sökt att  
blijwa;

Upp til Parnassi Berg/ och af then wijsdom blijwa  
Deelachtig/ som ther groor bland Phœbi drängar  
såta/

Och hafwen Ehrnände der en sådan som skall bära;  
Fördenskul borde mig Ehet wackra sinne priisa/  
Hållt när i denne gång Ehr lärdoms Alster wiisa/

Men som iag det ey kan/ dy denne Enskan  
bliifwer

Af mig äch Ehr til flut/ at GUD som fram-  
gång gifwer

Dem Muser dyreka rätt/ han wille öka meera  
Ehr framsteg/ at oss må af dem snare wiisas  
flera!!!

Detta i största hastigheet doch  
wälmene temnade

JOHANNES Wäng.

**I**ncipe sidere jam frater charissime fausto,  
Primitias mentis promere rite tuas!  
Pro modulo ingenii Tactum dum ostendere  
tentas,

Hunc vite comitem, corporis & regimen,  
Ut vero pergas, & adhuc subtilia nectas

Non opus est monitu: Jvasor es ipse tibi:  
Gratulor hisce tuis saltem conatibus & quo  
Hæc cæpit, Voto, pagina claudat eo:  
Cunctipotens Dominus cæptis juvenilibus  
adsit,

In finem optatum dirigat atque bonum!!

Fraterno affectu scripsit  
GABRIEL Lönqwist.

